

§ 11. Duae coniurationes abs te, Torquate, constituantur.

Coniuratio diversi generis infertur geminata propositione et fit a M. Tullio consultissima et non incuriosis lectoribus admiranda discretio, ut solum tempus ipse defendat coniurationis eius, quae se consule deprehensa sit, illud vero superius Hortensio patrocinante fateatur dilucide peroratum. Ita nec fit ulla iactura defensionis, quod illud superius tempus omittat, quoniam defendit Hortensius, et cum hoc sibi potissimum velut privatim et peculiariter vindicet ad diluendum, magis existimatur testimonio nisi quam probatione defendens ea scilicet, quibus ipse consul interfuit.

§ 12. Ergo istius coniurationis crimen defensum ab eo est, qui interfuit.

Non contentus sibi uni vindicare testis auctoritatem etiam in illo praecedentis coniurationis tempore, quoniam se non potest, vel ipsum testem constituit Hortensium. Sic contra iniuriam temporis utriusque non defensiones duorum, sed testimonia videntur opponi.

Non modo animo nihil comperi, sed *<vix>* ad auris meas istius suspicionis fama pervenit.

Obnixe negando de illa superiore coniuracione nihil se comperisse hoc persuadere conitur omnia sibi in consulatu suo fuisse manifesta.

§ 14. Multa, cum essem consul, de summis rei p. periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi; nullus umquam de Sylla nuntius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla suspicio.

Haec vero non patroni magis quam testis oratio est. Quibus enim verbis praeterquam his uti posset qui testimonium rogaretur? Mira ergo . . . optinens . . . quasi ex-

15

20

25